


EPISTULA LEONINA

CCXXXII

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-**CCXXXI** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
DUCENTESIMAM TRICESIMAM SECUNDAM (232) !

ARGUMENTA

PRAEFATIUNCULA	02-04
HOMO SACRA RES HOMINI	05
CHRONOGRAMMATA PATRIS HERBERTI DOUTEIL	06-07
DESINITE VACCINARE CONTRA VIRUS CORONAE ! (<i>vanden Bossche</i>).....	08
GLADIUS DAMOCLEUS: VIRALIS EVITATIO IMMUNITATIS (<i>RUBIKON</i>).....	09-12
IPSĀ VACCINATIONE PANDEMIAM FIERI VERĒ PERICULOSAM (<i>Analystes</i>).....	13-16
CONTRA GEERT VANDEN BOSSCHE (<i>Licoppe</i>).....	17-18
IN IUS VOCARI TYRANNOS CORONARIOS (I) (<i>Füllmich</i>).....	19-28
CONTRA REINERUM FÜLLMICH (<i>Licoppe</i>).....	29-31
ECCE LIBRI LEONIS LATINI	32-35

PRAEFATIUNCULA

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS AMANTIBUS
SAL.PL.DIC.**

Cara Lectrix, Care Lector,

gaudenter Te invito, ut denuo fruaris lectione Epistulae Leoninae, quae nunc est ducentesima tricesima secunda (232). Hac quoque in Epistolâ Leoninâ habemus vehementer varia: Ergo lege symbolas Leoninas: miraberis!

Babae! *Septimanâ proximâ accepimus nuntium gravissimum: Geert Vanden Bossche (quem Latinê appellemus Gerhardum Boscium), Belga virologus et vaccinologus, Organisationem Valetudinis Mundanam (WHO) urgentissimê monuit, ut quam celerrimê finiret massales vaccinationes anticovidianas.*

Boscius enim timet, ne mediâ in pandemiâ vaccinationibus anticoronariis efficiatur, ut vîrus fiat infectiosius eiusque resistentia augeatur. Nullo enim vaccino, quod nunc adhibeatur, transmissionem impediri, praeterea augeri vîri covidiani evitacionem immunitatis adaptativam.

Ergo vîrus mutatum immunitatem corporis humani innatum dolosê evitare. Postea ad tale vîrus mutatum impugnandum etiam vaccinationem anticoronariam nihil iam valere nihilque

prodesse. Quo magis vaccinetur, eo plures oriri vîri covidiani varietates (theodiscê »Mutanten«, graecê μεταλλάγματα sive ἀλλάγματα), quae etiam etiamque fiant infectiosiores. Ita fieri, ut “ex vîro aliquatenus moderato oriatur monstrum non iam moderabile”, ut Boscius dicit in colloquio interrogatus.

Quid nunc? Utinam erret Gerhardus! Errare humanum est. Sed Gerhardus neque est theoreticus conspirationis petaso alumineo indutus neque est vaccinandi recusator generalis – immo, Gerhardus ex viginti annis ipse componit vaccina nova mandatu gigantium industriae pharmaceuticae.

*Ergo oportet **thesis** eius ad obrussam exigatur. Sed nos omnes intimo ex animo speremus ad veritatem adductum iri **antithesin**, quam defendit sodalis noster veteranus Latinitatis vivae et Academiae Latinitati Fovendae: **Gaius Licoppe** medicus radiologus rude donatus editor Melissae.*

Utinam erret Gerhardus! Utinam Gaius rem acu tetigerit!

*In alterâ parte huius Epistulae Leoninae apud te introducetur **Reiner Füllmich**, patronus iuris consumptorii peritus, accusator istorum, qui sub praetextu pandemiae putativae impugnandae nos privant libertate necnon redigunt ad miserrimam paupertatem. Nonne hic iurisconsultus huiusque collegae – cum tot iudices corrupti regimini sint obnoxii – tamquam novus Asterix eiusque viculus pugnant contra Imperium invincibile? Nemo scit quid serus vesper vekat. Lege verba Reineri Füllmich et iudica ipse! Necnon plurimum te rogo, ut legas quoque antithesin, quam defendit **Gaius Licoppe** sodalis noster, qui pro certo habet Reinerum illum vehementer nocere studiis morbi coronae sanandi.*
AUDIATUR ET ALTERA PARS!

*Ergo, cara Lectrix, care Lector: tolle lege mirare perpende
argumenta utriusque partis: Quomodocumque ipse iudicabis,
semper scito in Epistulis Leoninis valere ius sententiae liberê
proferendae et defendendae! VIVAT LIBERTAS! VIVANT
IURA HUMANA! HOMO HOMINI RES SACRA SIT!*

Medullitus Te salutat

Dr. Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,
Die Martis, 23. m.Mart. a.2021**



HOMO SACRA RES HOMINI

SENECA, Epistulae Morales 95, 30-33

[31] **Non privatim solum sed publice furimus. Homicidia conpescimus et singulas caedes: quid bella et occisarum gentium gloriosum scelus?** Non avaritia, non crudelitas modum novit. Et ista quamdiu furtim et a singulis fiunt minus noxia minusque monstrosa sunt: ex senatus consultis plebisque scitis saeva exercentur et publice iubentur vetata privatim. [31] Quae clam commissa capite luerent, tum quia paludati fecere laudamus. Non pudet homines, mitissimum genus, gaudere sanguine alterno et bella gerere gerendaque liberis tradere, cum inter se etiam mutis ac feris pax sit. [32] Adversus tam potentem explicitumque late furorem operosior philosophia facta est et tantum sibi virium sumpsit quantum iis adversus quae parabatur accesserat. Expeditum erat obiurgare indulgentis mero et petentis delicatiorem cibum, non erat animus ad frugalitatem magna vi reducendus a qua paullum discesserat: [33] nunc manibus rapidis opus est, nunc arte magistra. - Voluptas ex omni quaeritur. Nullum intra se manet vitium: in avaritiam luxuria praeceps est. Honesti oblivio invasit; nihil turpest cuius placet pretium. **Homo, sacra res homini**, iam per lusum ac iocum occiditur et quem erudiri ad inferenda accipiendaque vulnera nefas erat, is iam nudus inermisque producitur satisque spectaculi ex homine mors est.

CHRONOGRAMMATA

PATRIS HERBERTI DOUTEIL

Zum 21. März, dem Jahrestag des 1. Höhepunktes der Corona-Krise:



2021* **De**Vs **VI**ro pat**I**entes **In** t**IM**ore **IV**sto et fort**I** non **D**eseret ! –
Gott wird die am Virus Erkrankten in ihrer begründeten und bedrückenden Angst nicht alleine lassen!

2021* eXoreMVs rIte et pIe pro totIs trIstI Morbo aegrotIs. – Lasst uns gebührend und fromm für alle an einer traurigen Krankheit Leidenden beten!

2021* nos In teMpore VnIVersaLIIs ContagII VIVentes DeVs totIVs ConsoLatIonIs ConsoLetVr atqVe benIgne tVatVr VIVos. – Wir, die wir in der Zeit der Pandemie leben, tröste der Gott allen Trostes und bewahre uns gütig am Leben.

2021* sanCtI atqVe beatI InterCessores potentes AChatIVs, Anna, Barbara, BLasIVs, CatarIna, ChrIstophorVs, Corona, CYprIanVs, DIonYsIVs, EVstaChIVs, GeorgIVs, HVbertVs, PantaLeon et SebastIanVs, orent pro totIs nostrIs aegrotIs InopIbVs In VIta et DIVtVrno eXItV.– Die heiligen und seligen mächtigen Nothelfer Achatius, Anna, Barbara, Blasius, Catarina, Christophorus, Corona, Cyprian, Dionysius, Eustachius, Georg, Hubert, Pantaleon und Sebastian, mögen für alle unseren armen Kranken im Leben und im lange sich hinziehenden Todeskampf eintreten. – Eine herzliche Bitte an 14 Nothelfer – auch die heilige Corona ist eingefügt, andere „offizielle“, wie Margarete, wurden der 14-Zahl wegen ausgelassen; das „divtvrno = allmählich“ beim Tod ist genommen, weil bei dieser Corona-Pandemie, wenn kein Atmungsgerät vorhanden ist, der Erstickungstod langsam und qualvoll eintritt.

2021* sItIs sIne tIMore Vano! pater VItaM gVbernabIt! – Seid ohne eingebildete Furcht: Der Vater lenkt das Leben! NB: Das Vertrauen auf Gott entbindet uns nicht der eigenen Mitwirkung durch alle Hygiene- und sanitären Maßnahmen, wie auch nicht das Vaterunser mit der Bitte um das tägliche Brot von der Landwirtschaft, vom eigenen Brotbacken und der gerechten Verteilung der Güter für alle, sondern verpflichtet uns dazu!

DESINITE VACCINARE CONTRA VIRUS CORONAE!!!



Geert Vanden BOSSCHE

i.e. Latinê Gerhardus BOSCIUS

virologus necnon vaccinologus

<https://www.youtube.com/watch?v=mUIDeCRDLnU&t=19s>

Urgent call to WHO: time to switch gears

<https://www.youtube.com/watch?v=ZJZxiNxYLpc>

Mass Vaccination in a Pandemic - Benefits versus Risks: Interview with Geert Vanden Bossche

<https://www.rubikon.news/artikel/das-damoklesschwert>

die Saturni, 13. m.Mart. a.2021, h.14:00

GLADIUS DAMOCLEUS

**Vaccinatione massali fieri potest, ut pandemia covidiana
aggravetur calamitosissimê.**



scripsit [Rubikons Weltredaktion](#), in Latinum convertit Leo Latinus

Vaccina anticoronaria fortasse opinione minus sunt efficacia. Quibus in nonnullis hominibus fiunt nocivi effectûs secundarii aut rarius fit mors. Hae res interim bene nôtae sunt. At his vaccinis fortasse calamitas efficiatur multo gravior: Vaccinatione massali, quae nunc fit, fortasse per spatium temporis medium aut longius numerus novarum infectionum viralium dramaticê augebitur. Tale drama effici potest re, de quâ – quod difficile est intellectu - usque nunc pauci

demum deliberaverunt: haec res appellatur *evitatio immunitatis*¹, quâ vîra mutatione evitant systema immunitatis humanum. Vaccinum propter hanc evitationem immunitatis non solum non haberet effectum exoptatum, sed etiam vehementer affligeret systema immunitatis nostrum naturale. **Geert Vanden Bossche**², Belga coryphaeus virologiae vaccinologiaeque fabricationis internationalis peritiâ professionali 20 annorum insignis prius operatus est apud Fundationem Gatesianam et alligationem vaccinandi globalem. D. 2. m. Mart. a. 2021 in conventu summitario vaccinandi internationali in urbe *Ohio* acroasin fecit, c.t. „**Cur tempore pandemiae vaccina covidiana oporteat ne adhibeantur ad vaccinationem massalem**“.

Quia post acroasin suam factam de eâdem a diurnariis vix aliquid relatum est, postridie Gerhardus Boscius sententiam suam publicavit friguttiens³:

„Vehementer sollicitor de effectibus, quos habebunt vaccina covidiana, si magis magisque adhibebuntur vaccinationibus massalibus idque in ipsâ pandemiâ. Legite monitionem meam globalem et argumenta scientifica.“

Verba introductoria, quae Gerhardus Boscius facit in acroasi suâ publicatâ, sunt haec quae sequuntur:

„Folia acroaseos meae adiunxi, quam heri feci in conventu summitario Ohioensi. Quae aspiciatis, quaeso. Ex iisdem sequitur me non videre, quomodo vaccinationibus massalibus pandemia covidiana non aggravetur calamitosissimê. Quod nemo (praeter me) videtur cognoscere. Pro eo, ut hoc periculum cognoscant, fabricatores vaccinatorum et medici curantes et scientistae animum ad nihil attendunt nisi ad resultata positiva, quae fiunt brevi spatio temporis in rebus individualibus. Nemo videtur tractare consequentias et aleas populationis hominum universalis – quas mox opinor manifestatum iri.“

¹ *ēvitātiō immūnitātis* (vīrālis), i.e. anglice: *immune evasion*.

² **Geert Vanden Bossche**, i.e. Latinê **GERHARDUS BOSCIUS**, cfr Iohannes Lonaeus Boscius, i.e. Johann Lonäus van den Bosch, 1514-1585.

³ **friguttiō**, -īre: *to twitter*.

Quare nemo sollicitatur de evitacione immunitatis, quamquam reverâ vîrus covidianum iam evitavit immunitatem hominum innatam, quod apparet ex pluribus novis varietatibus huius vîri multo contagiosioribus – quae propter globalia remedia infectionis cavendae exorta esse valdê verisimile est? Verisimillimum est usu vaccinatorum massali etiam augeri evitacionem immunitatis; quâ factâ nullo vaccino, quod nunc adhibetur, impediri potest, ne varietates virales reduplicentur et transmittantur. Quo magis mediâ in pandemiâ adhibebimus haec vaccina, ut homines immunes faciamus, eo infectiosius fiet vîrus.

Infectiositate augescente augetur etiam probabilitas, quâ vîra accipiant facultatem vaccinis resistendi. Hoc non solum sciunt vaccinologi periti, sed explicatur primi iam cursûs vaccinatorii studentibus: Oportere, ne vaccinum prophylacticum adhibeatur in populationibus, quae expositae sunt magnae pressioni selectivae – et pro certo habemus populos reverâ magnae exponi pressioni selectivae, quia hîc tempore in multis mundi partibus complures varietates infectiosissimae circumvagantur. Ut prorsus evitet evadatve pressionem immunitatis, quae efficitur anticorporibus vaccinatorum, vîrus covidianum, quod est facile mutatu, nihil necesse est faciat nisi addat nonnullas tantum mutationes novas in dominio suo receptores alliganti...

Vehementer timeo effectûs calamitosissimos, quos haec evitatio immunitatis viralis habere poterit ad speciem nostram humanam. Nam periculum est, ne homines non solum amittant tutamentum vaccino sibi datum, sed etiam pretiosam suam immunitatem innatam neque varietatibus specificam (!). Hoc eo efficitur, quod anticorpora vaccinatoria melius quam anticorpora naturalia alligantur ad vîrus covidianum, etiam si eorum affinitas ad varietatem vîri specificam est relativê parva.

Omnes magistratûs valetudinis et inspectionis excitatos monui quam urgentissimê, inclusis WHO, CDC, FDA eqs, eosque rogavi, ut sollicitationes meas graviter probarent et considerarent et perquirerent et quam celerrimê inciperent in utramque partem disputare de effectibus calamitosis, qui orentur, si vîrus covidianum pergeret immunitatem evitare.

Scilicet me scire vaccinationes massales, quae nunc fiant, ubique terrarum studiosissimè foveri et excitari et promoveri a magnâ multitudine hominum variorum participum et consortium sua commoda propria petentium. At dum non probatum erit me errare, oportet homines responsales quam maturrimè cognoscant genus humanum hōc tempore nobis periculum imminere, ne vîrus aliquatenus moderatum permutetur in monstrum horrendum nullo modo moderabile. Equidem numquam tam graviter aliquid dixi quam nunc.“

**SYMBOLA,
C.T.
GLADIUS DAMOCLEUS
(„Das Damoklesschwert“)
IN COMMENTARIIS PERIODICIS
INTERRETIALIBUS
C.T.
RUBIKON**

<https://www.rubikon.news/artikel/das-damoklesschwert>
die Saturni, 13. m.Mart. a.2021, h.14:00

**EDITA
IN LATINUM CONVERTIT
LEO LATINUS**

<http://www.pi-news.net/2021/03/top-virologe-befuerchtet-killer-coronavirus-durch-globale-impfungen/>

**MORTEM MASSALEM ESSE TIMENDAM
ORGANISATIONEM VALETUDINIS MUNDANAM
DRAMATICĒ ESSE ADMONITAM**

**IPSĀ VACCINATIONE FIERI PANDEMIAM
VERĒ PERICULOSAM**



Virologus: vaccinatione massali exoriri varietates vīri covidiani periculosissimas

Scriptis DER ANALYST, Latinē reddidit LEO LATINUS |

Auctor huius symbolae instructum est systemate immunitatis, quod bene operatur, et non particeps est illius gregis aetatum, in quo timendus est eventus infectionis coronariae gravior. Praeterea eidem auctori est satis ampla scientia medicinalis, quae spectat ad vīrus coronae. Itaque neque diurnariis neque politicis id contigit, ut animum eiusdem auctoris quoad vīrus coronae sollicitarent.

At id contigit nunc **Gerhardo Boscio** (*Geert Vanden Bossche*) uni ex ubique terrarum virologis illustrissimis. Boscus autem operatus est in provinciâ infectiones investigandi et vaccina fabricandi mandatu

negotiationum pharmaceuticarum, quae sunt *Novartis* et *GlaxoSmithKline*, necnon organisationis *GAVI* et *Fundationis Vilelmuli et Melindae Gates*. Ergo îdem vir procul dubio scit, de quâ re loquatur neque ullo modo est adversarius vaccinandi generalis.

Coryphaeum virologiae organisationi WHO scripsisse epistulam flagrantissimam

Eo magis non possumus, quin sollicitemur legentes epistulam tanti virologi 12 paginarum ad Organisationem Valetudinis Mundanam missam, cui titulus est “*Ad valetudinem internationalem tuendam nunc id esse maximê necessarium et urgentissimum, ut statim tollantur omnes massales vaccinationes anti-covidianae*”

Boscius timet, ne mediâ in pandemiâ vaccinationibus anticoronariis efficiatur, ut vîrus fiat infectiosius eiusque resistentia augeatur. Quia nullo vaccino, quod nunc adhibetur, transmissio impeditur, praeterea augetur vîri covidiani *evitatio immunitatis adaptativa*.

Vîrus vaccinatione massali fieri monstrum horrendum

Ergo vîrus mutatum immunitatem corporis humani innatum dolosê evitare. Deinde ad tale vîrus mutatum impugnandum etiam vaccinatio anticoronaria nihil valet nihilque prodest. Quo magis vaccinatur, eo plures oriuntur vîri covidiani varietates (*theodiscê »Mutanten«, graecê μεταλλάγματα sive ἀλλάγματα*), quae etiam etiamque fiunt infectiosiores. Ita fit, ut “*ex vîro aliquatenus moderato oriatur monstrum non iam moderabile*”, ut Boscius dicit in colloquio interrogatus.

Hôc loco iterum verbis efferendum est Boscium non esse adversarium vaccinandi, sed esse scientistam, qui mandatu gigantium industriae pharmaceuticae componat vaccina. Si talis investigator monet, ne vaccinetur, oportet agatur urgentissimê.

Boscius affirmat iam tironibus vaccinologiae esse discendum vaccina prophylactica numquam esse adhibenda in populationibus, quae iam essent expositae magnae pressioni infectionis. Îdem virologus praedicit hôc modo destructum iri systema immunitatis. Genus humanum effectum vaccinatorum accepturum esse “*gravia detrimenta*”

immunitatis innatae”, in casu gravissimo ipsam immunitatem innatam “*totam perditum iri*”.

Mortem factum iri massalem – afflicto iri etiam non vaccinato.

Sed detrimentis non solum affectum iri homines vaccinato, quia iidem vira mutata tradant hominibus non vaccinato, ut efficiatur calamitas valetudinis globalis. Talem calamitatem multo perniciosiorem evasuram esse quam pandemiam naturalem; in fine eadem effectum iri mortem massalem.

Gerhardus Boscus praedicit eas terras, quibus iam sit portio vaccinatorum magna, velut Britanniam Magnam et Israheliam et Civitates Unitas, primo quidem gavisuras esse de portionibus contagionis deminutis, sed postea „*procul dubio*“ passuros esse augmentum casuum covidianorum permagnum.

„Inevitabile erit augmentum casuum morbi gravium. Iam allatae sunt demonstrationes scientificae sat multae. Dolendum est easdem intactas relinqui ab illis, qui potestatem habent agendi. Quo usque tandem istud problema negligetur, quamquam hoc tempore indicia sunt gravia interim evitacionem immunitatis viralem imminere generi humano?“

Haec hactenus Gerhardus Boscus virologus et vaccinologus.

Homines vaccinato periculosos fore non vaccinato

Si praedictiones Boscianae ad veritatem adducentur, propter vaccinationes massales annis proximis experiemur pandemiam revera periculosam. Nec talem, qualem esse homines non credunt nisi grandine demum mendaciorum numerorumque falsatorum obruti.

Eritne talis pandemia illa, quam *Vilelmulus Gates* nuper dixit fore decies peiorem quam eam, quae nunc fieret?

Illa pandemia non erit fato, sed ab hominibus consulto effecta. Ut accuratius dicamus: Consulto effecta erit a nonnullis hominibus potestatis et divitiarum immensarum cupidissimis, qui naviter adiuti erunt ab ingenti agmine ovium somniculorum.

Usque nunc auctor opinatus erat omni homini, qui crederet vaccinationem sibi esse necessariam, eandem esse concedendam. At si *Gerhardus Boscius* rectê iudicat, homines vaccinatione fiunt incubatores varietatum vîri coronarii periculosarum ideoque etiam periculum afferunt hominibus non vaccinatis. Ita fit, ut societati nostrae quodammodo novus inigatur cuneus, quo homines dissociantur et insulentur.

**SYMBOLA,
C.T.**

**IPSA VACCINATIONE PANDEMIAM FIERI
VERE PERICULOSAM**

(„*Top-Virologe befürchtet Killer-Coronavirus durch globale
Impfungen*“)

**IN COMMENTARIIS PERIODICIS
INTERRETIALIBUS**

C.T.

P.I.news

[http://www.pi-news.net/2021/03/top-virologe-befuerchtet-killer-coronavirus
-durch-globale-impfungen/](http://www.pi-news.net/2021/03/top-virologe-befuerchtet-killer-coronavirus-durch-globale-impfungen/)

EDITA

**IN LATINUM CONVERTIT
LEO LATINUS**

CONTRA GERHARDUM BOSCIUM GAIUS LICOPPE SCRIPSIT HAEC

Le 17 mars 2021 à 23:20, SPQR <SPQR@leolatinus.com> a écrit :

Nicolaus Gaius suo sal.pl.dic.

Pro certo habeo, care Gai, tuâ interesse audire verba huius virologi. Audi et iudica, quaeso, ipse. Haec raptim, mox certê plura. Medullitus te salutat Nicolaus

<https://www.youtube.com/watch?v=ZJZxiNxYLPc>

Mass Vaccination in a Pandemic - Benefits versus Risks: Interview with Geert Vanden Bossche

Gaius Nicolao optimo s.p.d.

Auscultavi illos duos virologos. Eorum argumentum est: "periculo in una lance, emolumentum in altera, quo inclinatur examen?"

Respondeo: "duabus peritorum opinionibus in una lance, plerisque in altera, plurimis credendum est".

Nulla vaccinatio umquam facta est sine periculo, tantum tamen est beneficium vaccinationis, ut sine dubio accipienda sit, non solum pro se ipso, sed quoque ad ceteros protegendos. Annis quinquagesimis vicesimi saeculi saeviit in Europa dira epidemia poliomyelitis. Anno 1952, una cum parentibus Germaniam transii Italiam petiturus; secundum stratam autocineticam Germanicam, milites Americani, qui tunc regionem occupabant, frequentes tabulas posuerant cum inscriptione "Virusable", ut viatores monerent de magno contagionis periculo in his regionibus. Contagio fiebat aqua viro infecta; effectus erant terribiles, virus enim afficiebat aliquam partem systematis nervosi, unde detrimentorum varietas, membrorum paralyisin (apud F.D. Roosevelt membra inferiora), thoracis musculorum (aegrotans respirare iam non poterat, et, si facultas daretur, miserabiliter in perpetuum supervivebat inclusus praeter caput in chalybeo cylindro, in quo depressio aeris et surpressio alternatim facta artificiales thoracis motus inducebat), quin etiam subita mors (ut aliquis mihi notus, qui pro negotio in Hispania versans sic periit). Omnia natabula publica clausa erant. Decem annos timoris exspectare debuimus efficax vaccinum, quod poliomyelitidem celeriter in Europa eradicavit.

Cum iuvenis medicus essem in nosocomii servitio (sensu moderno) radiologiae, medicus caput quattuor filios habuit, sed unum perdidit vaccinatione contra variolam; tamen huius vaccinationis necessitas patet ex eo quod OMS anno 1980 variolam in toto mundo extinctam esse proclamavit.

Ego heri accepi primam iniectionem vaccini Pfizer, sine ullo incommodo. Haec vaccinatio in Europa est sola spes reditus ad vitam assuetam; infeliciter nimis lente procedit. Tamen vaccinum efficax habemus post unum annum, cum ante septem decennia decem anni necessarii fuerint. Cura ut valeas.

**CONTRA SENTENTIAM
GERHARDI BOSCHII**
(Geert Vanden Bossche)

**HANC EPISTULAM
SCRIPSIT**

DR. GAIUS LICOPPE
BELGA MEDICUS RADIOLOGUS EMERITUS
EDITOR MELISSAE. VETERANUS LATINITATIS VIVAE ET
ACADEMIAE LATINITATI FOVENDAE

IN IUS VOCARI TYRANNOS CORONARIOS (I)



INTERROGATUR

REINER FÜLLMICH

PATRONUS IURIS CONSUMPTORII PERITUS

ACCUSATOR ISTORUM

**QUI SUB PRAETEXTU
PANDEMIAE PUTATIVAE IMPUGNANDAE**

**NOS PRIVANT LIBERTATE NECNON
REDIGUNT AD MISERRIMAM PAUPERTATEM.**

**NONNE HIC IURISCONSULTUS HUIUSQUE COLLEGAE
CUM TOT IUDICES CORRUPTI REGIMINI SINT OBNOXII
TAMQUAM NOVUS ASTERIX EIUSQUE VICULUS PUGNANT
CONTRA IMPERIUM INVINCIBILE?**

**NEMO SCIT QUID SERUS VESPER VEHAT.
LEGITE VERBA RAINERII LATINE REDDITA !**

<https://www.youtube.com/watch?v=rpmujqPzXNA>

DR. REINER FÜLLMICH in hōc colloquio a **Patricio Greiner** interrogatus loquitur de his rebus, quae sequuntur: **vīrus coronae, accusatio Drostenii collectiva¹, vaccinum Biontechianum, proba PCR, Institutum Roberti Koch 04.03.2021**

In hōc colloquio revelatorio², quo interrogatur patronus *Reiner Füllmich*, colloquimur cum de ceteris tum praecipuê de nuntiis recentissimis, qui spectant ad vīrus coronae et ad accusationem *Christiani Drosten* collecticiam eiusque probam PCR. Praeterea indagabimus, quae sint lucri cupidines hominum politicorum nostrorum, e.g. *Iohannis (Jens) Spahn* ministri valetudinis necnon mercatoris argentarii et *Angelae Merkel* cancellariae foederalis et *Marci Söder* praesidis Bavariae ministerialis et *Caroli Lauterbach* epidemiologi putativi et *Lotharii Wieler* veterinarii et praeceptoris *Instituti Roberti Koch (RKI)*. In hac cohaerentiâ quam personam gerunt statalis televisio Germaniae, e.g. ARD et ZDF et Radiotelevisio Hassica et Censor Factorum („*Faktenchecker*“) et similes? Necnon responsa accipies ad has quaestiones quae sequuntur:

- In fabulâ pandemiae coronariae, quae agitur in theatro neurospastico, qui homines fila trahunt, quibus dirigantur neurospasta³?
- Quis effectu quarantenaе publicae atque generalis (*lockdown*) lucrum accipit plurimum?
- Estne multa coronaria legalis?
- Iuvatne confidere vaccinis *biontechano* et *astrazenecano*?
- Suntne numeri *Instituti Roberti Koch* falsati?
- Accusabuntur etiam *Merkel, Söder, Spahn, Lauterbach*?
- Debentne parvuli in scholis gerere mascas?
- Obligabimur ad vaccinationem subeundam? – e.m.al.

Ad omnes has quaestiones nobis respondebit patronus bene famatus, *Dr. Reiner Fuellmich* in hōc colloquio interrogatus, quod nunc sequetur!

¹ anglicē tale genus accusationis, quod in terris angloamericanis exstat, sed in Germaniâ, dicitur *class action*. Theodiscē appellatur *Sammelklage*. Francogallicē *action collective*.

² *interrogatorium colloquium revelatorium* orig. *Enthüllungsgespräch*.

³ *neurospaston*, -ī n. orig. *Marionette*. – *theatrum neurospasticum* theod. *Marionettentheater*.

PATRICK GREINER (PG):

Cara Communitas Youtubiana, medullitus te saluto ad novum scopocinema¹ spectandum. Nomen mihi est *Patrick Greiner*, et gaudeo quod hodie denuo particeps es emissionis nostrae.

Ex 12 ferê mensibus nos cives, electores, vectigalium pensores, parentes, operae locatores, independentes, negotiatores non possumus, quin vivamus quarantenâ inclusi, quae a gubernatione nobis est praescripta. Politici non desinunt classicâ ratione gradulariâ² nobis promittere aliqua remedia laxatoria, quae tamen alterâ ferê quâque septimanâ differuntur in tempus posterius. Politici nobis videntur habere nullum consilium clarum – aut: consilium gubernationis clarum est cives diem de die producendi. Simul *Merkel* et *Söder* et *Lauterbach* et *Spahn* etiam etiamque asperius loquuntur. Qui videntur nobis inicere timorem et – praesertim quoad vaccinationes – nos etiam etiamque vehementius urgere, ut patiamur. Necnon a membris gubernationis accipimus tales nuntios atros qualis est iste:



(*Ursula von der Leyen*): „*Confidamus magistratibus valetudinis publicis! Confidite Organisationi Valetudinis Mundanae ! Confidite rationi hominis sanae et illi diligentiae diurnariorum, quae valet in mediis optimae qualitatis!*“---- (comicus quidam) „*Vah apage! Nequaquam, iam desine! Non, non assentior isti sententiae...Nos talia non comprobamus*“

¹ *scopocinēma, -atis n. *Video(film)*.

² classica ratiō *gradulāria orig. *klassische Salamitaktik*.

Gubernatio dicit nos sibi esse protegendos contra effectûs vîri coronarii universales. At multo melius quaerendum est: Quis nos nostrosque filios filiasque protegit contra remedia gubernationis anticoronaria? Hôc in scopocinemate non agitur de theoriis conspiracy. Hôc in scopocinemate respondetur ad has quaestiones quae sequuntur:

1. Quae res verum enim vero subsunt pandemiae coronariae?
2. Qui sunt pecuniae datores in recessu stantes et praesertim:
Cui bono? Quis plurimum lucratur effectu pandemiae?
3. Qualis reverâ est proba ista PCR parum apta?
4. Quid est causae, cur secundum magistratum scholarium praecepta improbissima interim ipsi discipuli elementarii cogantur, ut per horas instituendi gerant mascas? –
5. Quid de statisticâ hominum morbo coronae mortuorum putativâ? Num reverâ coronae causâ medicis, pathologis, immo funerariis pecunia datur additicia? –

Et praecipuê sexto loco (6.): Cuinam ratio reddenda est in casibus ferê innumeris, ubi a iudicibus et vigilibus publicis remedia ultra modum sunt adhibita, ubi lex fundamentalis et iura humana sunt violata? –

De hac re brevi ante in canali meo instagramiano publicavi sententiam quandam irretitam¹. Quae est haec quae sequitur:

Vix aliquid stultius facere possumus quam res diiudicandas mandamus hominibus politicis, qui si erraverint, pretium solvere debebunt nullum.

CONCLUDAMUS: Tune vis melius intellegere veras causas pandemiae coronariae quae nunc fit? Si hoc vis, cave ne praetermittas hoc colloquium interrogatorium quod nunc sequetur.

Cara communitas interretialis,

medullitus te saluto ad novum spectaculum mei participandum – quo nulla investitio exstat melior – nomen mihi est ***Patrick Greiner*** et gaudeo quod hodie mihi licet apud te introducere hospitem


¹ **irrētiō**, -īre sensu hodierno: theod. *posten* (i.e. interreti imponere alqd).

collocutorem, quo nobis efficiatur multum expectationis. Idem est patronus iuris consumptorii specialiter peritus, et hęc tempore versatur in pandemiā coronariā disquirendā. Qui in canali suo youtubiano habet 108.000 (centum octo milia) subnotatorum, 74.000 (septuaginta quattuor milia subnotatorum in grege telegramiano necnon condidit Commissionem Coronariam, de quā iterum iterumque communitatem suam certiores facit de statu rerum. Denique, Domine Dr. Füllmich, medullitus te saluto in hęc spectaculo meo; gaudeo, quod hodie tandem contingit, ut te apud spectatores meos introducam.

Reiner Füllmich (RF): Ego quoque gaudeo multasque gratias tibi ago, Domine Greiner!

PG: Domine *Dr. Füllmich*, ut certiores faciamus omnes, qui te nondum noverunt: Rogo te, ut paucis verbis nobis explices, quale officium geras. Quis es, quid facis, quam missionem hęc tempore exsequeris tibi mandatam?

RF: Patronus sum et ex viginti sex annis maximam partem munus gessi patroni causae iuridicae – non solum, sed collegis meis quoque cooperantibus hęc in grapheo Gottingensi et in grapheis Civitatum Unitarum cooperantibus. Nam admissus sum patronus non solum in Germaniā, sed etiam in Californiā. Hęc in spatio temporis maximam partem mandata suscepimus consumptorum et negotiatorum possessionis minoris aut mediocris accusantes complexus mercatorios – hoc licet dicere – scelestos. Quales fuerunt *Argentaria Germanica* aut *VW* aut nuper – propter corruptelam – *Kuehne et Nagel*. Antea per longum tempus laboravi in Universitate Gottingensi, in Sede Investigandi Iuris Medicinalis et Medicamentarii. Praeterea operatus sum in commissionibus ethicis clinicorum Universitatis Gottingensis et Hannoveranae; quo factum est, ut recordans paululum adhuc sciam de iure medicinali. – Crisis coronaria me uxoremque meam a tergo oppressit in Californiā degentes. Ibidem volueram pausam faciens laborum in praediolo quodam boario remotissimo animum et corpus relaxare, cum subito ab amicis atque affinibus telephonicę certiores facti sumus hęc in Germania decretam esse quarantenam publicam atque generalem. Quod parum intelligens telephoniavi cum amico meo *Volfgango Wodarg*.



DR. WOLFGANG WODARG

Quem cognoveram illo tempore, quo unâ participes fuimus gregis operandi iuridici. Qui grex operandi iuridicus unâ cum multis advocatis, patronis, professoribus iurisprudientiae, iudicibus necnon actoribus iuris publici id curavit, ut investigaret, cur nonnullae controversiae iuridicae – illae scilicet, in quibus nullum valet aequilibrium rei et accusatoris – id est controversiae singuli consumptoris relativê infirmi aut singulae parvae negotiationis magnum complexum mercatorium accusantis – cur tales controversiae coram iudiciis Germanicis vix umquam superantur, et cur ex alterâ parte saepius feliciter superantur in terris angloamericanis, praesertim in Civitatibus Unitis? Scilicet nos novisse historiam ipsius negotiationis VW et Argentariae Germanicae – hic iisdem ferê nihil accidit nisi nonnullae diiudicationes praetextae, e contrario in Civitatibus Unitis iudicio multae erant solvendae miliardarum propter eas res ipsas, quae hîc praetermittuntur impunes. *Wolfgangus Wodarg* est medicus peritus meque commonuit ante duodecim annos iam aliquid simile factum esse, influentiam illam porcariam, et eandem similiter verbis exaggeratam esse ab iisdem protagonistis, qui nunc proclamare non desinunt pandemiam coronariam, velut *Dominum Drosten* et Anglum quendam nomine *Neill Ferguson*.



PROF. CHRISTIAN DROSTEN



PROF. NEILL FERGUSON

Qui omnes influentiam prorsus falso ultraque omnem modum depinxerunt exaggeratam necnon nuntiaverunt istac influentiâ morituros esse aliquot miliones hominum. Sed illo tempore Wolfgang Wodarg adhuc potuit totam rem deflectere, quia potestate fuit politicâ, nam fuit membrum Conventûs Foederalis necnon Consilii Europaei. Ultimo autem momento temporis fieri potuit, ut homines rei verê periti audirentur – non solum una pars, ut nunc, sed etiam altera, idque factum est ultimo momento temporis, quo impediretur pessimum – nam animadversum est nullam prorsus esse pandemiam, sed nihil nisi influentiam mitem ideoque vaccinatio finita est. At hoc non iam factum est tempore aptissimo, nam spatio temporis interiecto propter vaccinationes, praesertim in Scandinavia, ni fallor, 1300 (mille trecenti) parvuli gravissimê sunt debilitati, per totam partem vitae suae reliquam laborabunt narcolepsi.

Wolfgangus Wodarg cum haec mihi narrasset meque illius influentiae porcariae monuisset (quam integram oblitus eram) me certiozem fecit etiam de altera parte scientistarum audienda (iurisconsulti enim (in controversiis) semper attendunt etiam ad alteram sententiam, quae affertur): nomina enim attulit eorum scientistarum, qui aliter sentiant

de vîro covidiano quam ille *Drosten* et *Ferguson* et alii: quales sunt in Germaniâ, sed etiam in Californiâ, ubi illo tempore versatus sum: veluti prope nos in Universitate Stanfordianâ tales sunt viri docti optime famati, qualis est scientista omnium citatissimus, *Professor John Ioannides*, aut *Michael Levitt*, sed etiam Germanus nomine *Knut Wittkowski* in Neo-Eboracensi Universitate Rockefelleriana docens, et scilicet tales esse in Germania versantes professores, qualis est *Domina Profestrix Mölling* et *Dominus Professor Bhakdi* eqs., eqs.



PROF. JOHN IOANNIDES



PROF. MICHAEL LEVITT



PROF. KNUT WITTKOWSKI



PROF. KARIN MOELLING



PROF. SUCHARIT BHAKDI

Hos homines doctos accessi: partim eorum aspexi scopocinemata, partim cum iis ipsis collocutus sum. Inde apparuit in istâ re (pandemica) aliquid non rectum esse. (09.56 min) ...

**HAEC EST PRIMA PARS COLLOQUII
QUO A PATRICIO GREINER
INTERROGATUR
REINER FÜLLMICH
PATRONUS
TYRANNOS CORONARIOS
IN IUS VOCANS**

PROXIMA PARS SEQUETUR!

XXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXX

CONTRA REINERUM FÜLLMICH GAIUS LICOPPE SCRIPSIT HAEC

<https://docs4opendebate.be/en/open-letter/>

Le 24/10/2020 12:32, « Nicolaus Gross » <nGross@Leolatinus.com> a écrit :
<https://www.corona-schadensersatzklage.de/covid-19-tests-pcr-crimes-contre-lhumanite-reiner-fuellmich/>

Nicolaus Gaio suo sal.pl.dic.

En habes nuntium coronarium; tolle lege iudica ipse. Agitur de querelâ iudiciariâ collecticiâ (qualis in Canadâ Civitatibusque Unitis fieri potest, sed non in Germaniâ), quae spectat ad damna gravissima remediis coronariis effecta. Patronus qui loquitur nomine est *Dr. Reiner Füllmich*; îdem cooperatur cum multis patronis aliis internationalibus. Sententia eius praecipua: *nisi esset proba PCR (Drosteniana), non esset "pandemia"*. At ista proba non verê apta est ad diagnosin clinicam. Magna pars eventuum istius probae est "falso-positiva". Ego ipse quamvis bene valens probatus sum positivus; itaque ego multique collegae discipulique quarantenâ sunt inclusi, schola est conclusa, nulla institutio fit nisi interretialis. Tamen pro certo habeo ne unum quidem collegam aut discipulum esse verê aegrotum (nisi contraxit perfrictiunculam, quod quotannis tempore autumnali saepius fieri solet). Officia valetudinaria autem studiosissimê quaerunt "casûs coronarios", ut demonstrent nuntios gubernationis terrorem panicum efficientes esse veros. Tota res est fraus ingens. Haec hactenus. Mox tibi mittam vocabula quae spectant ad bestias. Haec raptim, mox certê plura. Medullitus te Franciscamque salutat Nicolaus.

<https://www.corona-schadensersatzklage.de/covid-19-tests-pcr-crimes-contre-lhumanite-reiner-fuellmich/>

Am 26.10.2020 um 11:06 schrieb Licoppe-Deraedt:

Gaius Nicolao optimo s.p.d.

Verba tua me contristant. Tanta huiusmodi fraus institui non potest; insuper a quo, in quem scopum? Quis negare potest hodiernam luem esse pandemiam, cuius progressionem e Sinis (ut solet) gradatim sequi potuimus, cum nostris temporibus de toto orbe terrarum nuntios recentissimos sine ulla mora accipiamus. Oeconomia mundana maxima detrimenta patitur, aes alienum civitatum inaudite crescit, hoc omnibus patet. Loquar de Belgica, cuius cursum attente examino. Sunt nunc 6% civium positivorum, i.e. 660.000 hominum inter 11 miliones. Inter positivos certe non omnes aegrotabunt, sed omnes sunt contagiosi; haec est vera causa incredibilis propagationis viri. Heri nosocomia 517 novos aegrotantes acceperunt (numerus cottidie augetur) et pauciores nosocomia relinquere possunt; sic fit ut nosocomia referta sint, nondum ubique feliciter, sed e.g. Leodii, in urbe universitaria (non longe a domo mea sita), magnis modernisque nosocomiis praedita, nullus novus aegrotans accipi potest. Heri 76 novi aegrotantes admissi sunt ad curam intensivam (iucundum non est hoc modo curari). Heri quoque 79 viro affecti mortui sunt.

Haec sunt facta. Politicorum munus non est facile; medici huius luis peritiores sunt necessario consulendi (sed multa de Covid-19 nondum sunt bene nota; deest satis longum tempus), qui solum cogitant de modis efficacioribus ad epidemiam cohibendam, sed non cogitant de effectibus oeconomicis et psychologicis modorum radicalium, quos proponunt; politici contra hos effectus respicere debent, unde decreta media.

Ei, qui, ut Dr Reiner <Füllmich>, dubium in populum insinuant, sunt nocivi homines, sed tales semper fuerunt. Recordor aliquem D.rem Riemer, erraticum circulatorum qui autumabat cancrum originem psychologiam habere et rem detegebat cerebri scannericis imaginibus; saeviebat tempore quo unam ex primis officinis scannericis Bruxellis habebam; dicipulam habebat in urbe mea, quae ad officinam meam patientes mittebat; quae doctrix veniebat ad me ad imagines examinandas et mihi monstrabat signa manifesta cancri; ego ei explicabam haec signa

tantum esse artefacta (nam primae machinae scannericae nondum erant sine vitiis), sed frustra!

Si concives nostri male informantur, vel si carent necessaria voluntate ut se iniucundis vitae condicionibus aptent, pestis diu nos persequetur. Sufficit paucas simplices regulas respicere: proximos contactus humanos vitare, inter homines distantiam 1,5 m. servare, in locis publicis mascam bene gerere. Cura ut valeas.

**CONTRA SENTENTIAM
REINERI FÜLLMICH**

**HANC EPISTULAM
SCRIPSIT**

DR. GAIUS LICOPPE
BELGA MEDICUS RADIOLOGUS EMERITUS
EDITOR MELISSAE. VETERANUS LATINITATIS VIVAE ET
ACADEMIAE LATINITATI FOVENDAE

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mand a- telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS- LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI- TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

				Raelt					
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505 A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605 A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705 A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIIUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406 A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90

28	00107 A	978-3- 938905-27- 2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207 A	978-3- 938905-28- 9	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	00307	978-3- 938905-29- 6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**



**HANC EPISTULAM LEONINAM
DUCENTESIMAM TRICESIMAM SECUNDAM
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**



Die Martis, 23. m.Mart. a.2021

Dr. Nicolaus Groß
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae